EXERCITATIO
DE
UNICORNU.

In alma Philureâ

Inclutæ Facultatis Philoſophicæ permiſſu

E. P. P.

M. JOH. CHRISTIANUS Stolbergk/Gaud. Miſnicus.


Reſpondente

CHRISTIANO SAGITTARIO, Rochlicenſi,

Philoſoph. Candidat.

Ad XIV. Kal. Octobr. A. C. cIↃIↃc LII.

H. L. Q. S.



Literis Fried. Lanckiſch.

Imprimebat Chriſtophorus Cellarius.

Quæ res bene vortat!

HOc nimirum humani ingenii vanitas, hoc imo Democriti puteo latescens veritas, hoc ipsa tùm naturantis tùm naturatæ (ut cum Philosophis loquar) naturæ obscuritas nobis peperit, ut non nisi tot variorum variè dissentientium opinionibus excussis, aliquid demum conforme veritati eruere queamus. Scilicet quo quem major stimulavit κενοδοξία, eo immitiùs vapulavit veritas, dummodo ille putatitiæ suæ autoritati plenum velificari posset. Hinc tot audita, tot visa multis, & peregrinatoribus præcipuè, quæ eâdem veritate Pasquinus audiverit, Tiresias viderit, adeò horologiis Senecæ, quàm autoribus de exoticis narrantibus magis propemodum convenit. Oculatâ hoc manu credimus, experti diebus hisce, quibus eruditorum de Unicornu Sententias carptim scitè scire, & pauculos de eo manipulos studiorum nostrorum præmetium inter vulgum proponere voluimus. Explicabat hic animal istud tàm graviter, depingebat tàm graphicè, ut Unicornu ei, dum scriberet, ad latus adsedisse jurares. Negabat alter & tàm strenuè, & adsertorem Unicornu tàm ridebat salsè, ut vel ab ipsâ Carneadis facundiâ ei non magis ejus existentiam, quàm Lunæ Luciani inquilinos persuaderi posse videretur. Provocabat tertius ad αὐτοψίαν, & quomodo infectas virulentorum animalium veneno aquas ἀλεξικάκῳ suo Cornu expiaret, præsentem se vidisse dicebat, cui alii rursus contraveniebant, & quis omnia Scriptorum discidia enumeret? Nos in isthis sententiarum divortiis constituti parùm abfuit,

 quin

quin Zenonem (qui, juxta Sextum Empiricum, utrum ipse mundum contineret, an in mundo contineretur, utrum vir esses an fœmina, ignorare se & dubitare profitebatur,) imitati, quale sit, & quid de illo sentiendum, præter contrariantes sibi opiniones nihil attulerimus, tantâ nobis ex tot auctorum evolutione conciliatâ dubietate. Eluctati tamen tandem sumus, & quæ pro existentia ejus militare videbantur argumenta, ab iis, quæ privato spicilegio ex vario variorum auctorum genere observaveramus, confirmata, in chartam hanc insubidè conjecimus, censuram & judicium Eruditiorum periclitati, quod si sustinuerimus, erit de quo nobis gratulemur; sin minus: sed omen despuo! Faveat nobis supremum Numen.

Adv. Mathem. l. an sit aliq. quo judic verit. f. 182.

ΚΕΦΑΛ. Α.

Unicornu Etymologia. Homonymia, Synonymia. quomodo dicatur Italis, Hispanis, Anglis, Gallis, Germanis, Danis, Polonis, Ungaris, Græcis, Hebræis, Arabibus, Æthiopibus, Chaldæis, Brachmanibus & aliis.



Nicornu igitur tractaturi historiam ab evolutione nominis non præter solitum auspicabimur: Unicornu Latinis, ab unico, quo præditum est, cornu, nuncupatur. *Chymici* id vocis pro materiæ suæ spiritu & Mercurio, teste *P. J. Fabro*, *(a)* accipiunt: Aliqui, ut *Tertullianus (b)* & *Justinus Martyr*, *(c)* pro medio illo palo, qui stipiti crucis infixus, corpora damnatorum apud Romanos sustinebat: Alii, & inprimis quoque

(a) l. 5. Panchym. c. 12.
(b) l. adv. Jud. c. 11.
(c) dial. gt. Tryph.

quoque *Gratiosissimi Medici*, pro ipso unico illo cornu, cujus nos animal, sub propriè accepto nomine Unicornu in subsequis delineabimus. Dicitur autem id animal aliquibus etiam *Unicornus*, ut *Bartholomæo Anglico*, (d) *Johanni de Hese*, (e) *Nicolao Perotto*, (f) *Eusebio Nierembergio*, (g) & aliis, ex antiquo more quem *Priscianus* (h) notat; quemadmodum *Nestori Novariensi* (i) hoc *Unicornium* quoque declinari potest, quo *Johannes Æmylianus*, (k) *Francisc. Fernandez de Cordova*, (l) & fors alii utuntur, *B. Ambrosius* (m) Unicornuus usurpat, & hinc fortasse antiqua Bibliorum versio in *Vaticana Bibliotheca*, Breviariis hac in parte consona *Unicornuorum* vocem inflectit, prodente *Cl. Th. Bartholino*. (n) Italis *Lionfante*, *Alicorno & Lioncorno*, Hispanis *Unicornio*, Anglis *An Unicorne*, Gallis *Lycornu*, Germanis Einhorn/ Danis Enhorn/ Polonis *Jednorozec*, Ungaris *Egyszaruw*, nominatur. Græcis μονόκερως audit, licet non parum confusionis dederit id nominis, dum adjectivè usurpatum à bonis Autoribus, substantivè acceperunt litteriones interpretes, & inde tot peperêre unicornua, quot unicornia ferè unquam mundus. *Monocerus, ri*, quoq; flecti posse *Fr. Joh. de Janua* (o) asserit sicut *Monoceronrontis* suprà laudatus *Nestor Novariensis*, (p) & aliquot alii. Hebræi voce *Reem* indigitant, tametsi admodum controversiosâ. *Rabini* enim quidam de bubalo exposuerunt, ut testantur *Lyranus* (q) ac *Delrio*, (r) Et novissimè adhuc *A. Bootius* (s) *Urum* interpretatus est, mordicus suam defendens sententiam. *Avenarius*, *Hieronymus ab Oleastro*, *Augu. Steuchus Eugubinus*, *Franc. Forerius*, & *Joh. Mariana* Rhinocerotem: *Hieronymus*, *Santes Pagninus*, *Thomas à Vio*, (vulgò Cajetanus) & *Tigurini* nunc Rhinocerotem nunc unicornu explicant: *Mercerus*, *Buxtorffius*, *Frantzius* utrumq; animans unico indigitamento denotari volunt. Verùm rectius LXX (ut vocant) & secuti hos recentiores interpretes, quà Latini, *Zwinglius*, *Bucerus*, *Oecolampadius*, *Calvinus*, *Munsterus*, *Castalio*, *Stephanus*, *Marcus Marinus*, *Marcinus Borrhaus*, *Mollerus*, *Junius*, *Tremellius*, *Piscator*, *Osiander*, *Drusius Schindlerus*, quà vernaculi *Lutherus*, *Galli*, *Angli*, *Itali*, *Hispani*, *Belgæ & Rabini*, quos ab oculata manu *Arnoldi Bootii* (t) laudamus, unicornu vertunt, atque id respectu ad originationem habito, ubi *Raam* vel *Ramam* elevationem notat, quâ ejus cornu

(d) l. 18. c. 88.
(e) in Itiner. ap. Cordob. c. 5.
(f) p. 458.
(g) l. 7. c. 69.
(h) l. 6.
(i) sub voc. Unic. p. 108
(k) Syntag. 4. h. n.
(l) cap. 9. didasc.
(m) de benedict. Patr. c. 11. p. 270.
(n) Cap. 6. tr. de Unic.
(o) Cathol. sub voc. μονοκ.
(p) sub v. μονοκ. p. 65.
(q) ad Numer. 23.
(r) adag. sacr. ad Deut. 33.
(s) l. 3. animad. sacr. c. 1.
(t) loc. citat.

(u) in Lex.
(x) in paraph.bibl.
(y) c.28,18.
(z) c.27,6.

præ cæteris gaudet, prout rectissimè etiam *Forsterus* (u) & *Osiander* (x) apud *Jobum* (y) & *Ezechielem* (z) Ramot ipsum cornu Unicornu explicant, quicquid alii de Corallio conjectentur. Avicennæ *Alchercheden* dicitur, quod *Andreas Bellunensis*, qui ad interpretationem *Gerhardi Carmonensis* ex Arabico Codice notulas addidit, animal unius cornus, quod venenis resistat, reddidit, citante *Baccio*. (a) Arabibus *Barkaran*, Æthiopibus *Abadukarnu*, Chaldæis *Riim*, teste *Th. Bartholino*, (b) Brachmanibus *Cartazonos*, teste *Æliano*. (c) Aliqui etiam, ut *Tertullianus*, (d) *Gregorius M.* (e) *Isidorus*, (f) *Beda*, (g) & quos *Gesnerus* (h) laudat, item *Albertus M.* (i) *Vincentius Bellovacensis* (k) & innumeri alii Rhinocerotem appellare non veriti sunt, illud animalis cum Unicornu idem statuentes, sed quàm crasse erraverint optimi viri ex distinctissimis utriusque proprietatibus infrà patescet. Et tantùm de nomine.

(a) part. 2. de Alicorn.
(b) cap. 20. & 21.
(c) l.16.c.20 H.A.
(d) ad Prax
(e) lib. 31. Moral.c.13.
(f) lib. 12. Etym.c.2. p. 286.
(g) in Job. cap. 39.
(h) in Icon. quadr.p.64
(i) l.22. de anim.
(k) l.18. c. 104.

ΚΕΦΑΛ. Β.

An sit Unicornu. Aliqui dubitant, aliqui negant, aliqui affirmant, his acceditur. Bootius refellitur. Homines Unicornes. Volucres. Draco. Scarabæi. Serpentes. Pisces. Hippopotamus. Rosmarus. Amphibia. Dens Balenæ Narhvval. Unicornu S. Dionysii, Goropii, Barberini. Rhinoceros. Bos marinus. Oryx, Boves. Bisontes. Asinus Indicus. Pocula Veterum. Equus Unicornis. Rhinoceros quadrupes.

An

AN detur nunc jure merito anquirimus. Disceptatur variè à variis, ut quemlibet sua fert opinio, ita se regit, ita credit. Plures dubitarunt, credo quod nulli se parti adplicare auderent sat tutò, ita inexplicabilibus ratiociniorum laqueis interpediti. Commatis hujus sunt *B. Ambrosius*, (a) *Thòmas Jordanus*, (b) *Rondeletius*, (c) *Fallopius*, (d) *Laurentius Joubertus*, (e) & nostro adhuc dum seculo πολυμαθέστατος *Th. Reinesius*, (f) *Gisbertus Voëtius*, (g) & alii. Non pauci id quoque pro re planè imaginariâ & commentitiâ habuerunt, editisquè scriptis impugnare non dubitârunt, quales præprimis sunt *Ambrosius Paraeus* (h) Chirurgus Parisiensis, & quem *Ulysses Aldrovandus* Latio donavit *Andreas Marinus Venetus*, (i) item eruditissimus Belga *Arnoldus Bootius* Medicus, (k) ne plures accumulem. Verùm ut eorum qui Unicornu animal dari existimarunt, longè plures, iiquè viri multò probatissimi sunt, ut *Philes*, (l) *Plinius*, (m) *Solinus*, (n) *Ælianus*, (o) *Ludovicus di Barthema*, (p) (qui & *Romanus & Vantomanus* adpellatur) *Cardanus*, (q) *Scaliger*, (r) *Anshelmus Boëtius de Bood*, (s) *Andreas Baccius*, (t) *Munsterus*, (u) *Franzius*, (x) *Sennertus*, (y) Utriquè *Bartholini*, (z) & aliquam multi alii, ita ab ipsorum quoq; partibus stat filia Solis, Naturæ Soror, & ad extremum vinci nescia veritas (ut est apud Tertullianum) divinis atque humanis communita testimoniis. Nos sacram profanæ historiam ἡδίστην συζυγίαν συγκαταμιγνύντες thesin illorum, quantùm pote, nostro quoque amite statuminabimus, antithesin, eamque τεθριαμβευμένην qui noscere cupit, *Andream Baccium*, quique interpolia eius argumenta dedit, *Th. Bartholinum* potissimum adeat, quos heic nulli exscriptum ibimus. In sacris namquè per *Reemum* animal unicorne cùm intelligendum veniat, ut in hoc tot à nobis laudati supra primæ caveæ Interpretes amicissimè conspirant, illudq; certis notis contradistinctum speciebus aliis, frustrà sanè contenderint, quiqui assensum suspendent dubieni. *Bootius* (a) certè, vir πολυγλωσσότατος, qui *Reem Urum* exponit, sententiamquè isthanc suam adversus tot innumeros sacrarum profanarùmque literarum consultos tueri conatur, injurius videri posset, qui, quod aliis negavit, ipse nos postulare ausit. Nam quod ex men-

(a) loc. cit.
(b) Pest Phænom. cap. 9.
(c) De Dosib. Medic.
(d) de comp. Med. c. 51.
(e) l. de Pest. c. 18.
(f) Var. lect. l. 2 c. 2.
(g) Disp. Theol. p. 1. p. 732.
(h) l. 20. c. 39. de Ven.
(i) ap. Aldrov. l. 1. c. 6. de solip. quadr.
(k) loc. cit.
(l) p. m. 87.
(m) l. 8. h. n. c. 21.
(n) c. 55. pol.
(o) l. c. & l. 17. c. 44.
(p) Navig. 1. c. 18.
(q) l. 17. de Var. rer. cap. 97.
(r) Ex. 205.
(s) l. 2. de lapi. c. 244.
(t) loc. cit.
(u) l. 5. Cosmog.
(x) Histor. anim. c. 11.
(y) Instit. Phys. l. 7. cap. 5.

mentione *Reemi* cum bubulo genere copulatâ affinitatem animalium adseverat, longè infra id roboris puto, quod tot tantorumque autorum pondus elevare queat, quin ex conjunctione istâ disparatas potius species ariolere unicornium bicorniumque, quæ cætera dispares, feritate tamen, robore, &aliquot aliis proprietatibus congruant. Quod si verò hoc obtinuerimus, memoratam esse in sacris feram unicornem proximum fuerit dispicere qualis illa sit, & quomodo ab aliis unicornium seclis herciscunda. Pluria quippe dari jam antidhac *Marinus, Baccius, Laurentius Catellanus, (b)* utrique *Bartholini* & alii notârunt; potiora nos, & quæ in ea nata nobis sicilimenta sunt, majoris σαφηνείας ergo strictim recensebimus, veniam tamen præfati, ut ne si impropritim quandoque ex autoribus voce Cornu pro pro quovis tubere paulò magis prominulo utendum erit, dica nobis statim speranda sit, quum quorum opinionibus qualemcunque radium allucemus, illorum verba meritò loquamur. Primori verò loco inter unicornia meritò numeratur homo, sanctius illud animal, mentisq; capacius altæ, ex Ovidio; (c) Et unicornium quidem hominum varia mirimaque memorant exempla *Dalechampius, Amatus Lusitanus, Lycosthenes, Weinrichius, Paraeus & Cabrolius*, quos *Pater*, (d) *& Thuanus, Fabricius Hildanus, Renodaeus, Zacutus Lusitanus, & M.A.Severinus, quos filius Bartholini*(e) allegant, quorum verba heic adducere nihil attinet. Bicornium historiam multò minus teximus. Quis enim absque offensa ἔκτοσθεν τῶν ἐλαιῶν ad singulos descendat? Videri tamen possunt de *M. Genitio Cippo Valerius Maximus, (f) Hieronymus Monteus, (g) & Petrus Messias* (h) de aliis *Thom. Bartholinus* (i) & alii. Ad irrationalia propius visamus, quà magna se quoque unicornium seges ostendit, tàm avibus, quam insectis, piscibus, quadrupedibusque conspicua. Aves præeant, quas apud *Ælianum* (k) unicornes in Æthiopiâ reperiri scribit *Dinon, à L.Catellano* (l) pro ave ejus nominis acceptus, à quo & Optimus Senex *Casp. Bartholinus* (m) in errorem inductus est, cujus tamen festinationi meritò ignoscendum. Peculiaris quoque avis *εἰκόνα à Passerotto Passerotti Bononiensi, & Joach. Juvenio Lipsiensi* sibi transmissam *Aldrovandus (n)* exprimit sub Rhinocerotis nomine, quam Tragopanadæ *Plinii* (o) consimilem judicat, sed magnus *Olaus Wormius* Indam

Topam

(z) *l.cit.*
(a) *loc.cit.*
(b) *tr. de Unicor.*
(c) *l.1. Met.*
(d) *cap. 1. tr. de Unic.*
(e) *c. 1. tr. de Unic.*
(f) *l.5.c.6. mem.*
(g) *de ad. mir. cent.1. §.6.*
(h) *part. 2. cap. 8.*
(i) *cap. 3.*
(k) *l.17. hist. anim c.10.*
(l) *cap. 1.*
(m) *cap. 1.*
(n) *l.12. Ornithol c.10.*
(o) *l.10.c.49.*

Homines Unicornes
Bicornes.

Topau credidit, quam ex laudati Viri famosissimo Musæo *Th. Bartholinus* (*p*) delineat. Quæ Lusitanis visa est enavigato mari rubro cùm *Solimannus Eunuchus* classem circumduceret, si non eadem cum priori, certè ei quàm simillima est, & adhæc similis quod ad cornu virtutis cum quadrupedis ut testatur *Ludovic. de Urreta*, (*q*) Monachus Franciscanus. Alia tamen prorsus est, licet sub eodem quoque nomine referat *Aldrovandus*, (*r*) seu verius *Th. Dempsterus*, *Baro à Muresk*, quæ *Gualtero Ralegho ex Guianu* in Portu *Moreguito* oblata est, *Armadilla* Indigenis dicta, cùm illius cornu pro tubis uti possint, teste *Petro Martyre*. (*s*) Volatilis cujusdam unicornis Draconis sceleton, quod *Cardinali Franc. Barberino Rex Galliæ Ludovicus XIII.* donavit, effigiatum ex *Tobiæ Aldini* Musæo *Th. Bartholinus* (*t*) exhibet, quem vide. A volucribus nunc ad volatilia insecta: Lucanorum scarabæorum post *αἰλυρόμορφον καὶ ταυροειδῆ* species tertiam ponit *μονόκερων*, Mercurio sacrans, *Horus Apollo*; (*u*) Rhinocerotem indigetat *Ferrantes Imperatus*; (*x*) corpore nigro, cui non nihil rubri admistum, crasso magnoq; capite, quod unicum cornu insignit. An idem sit cum volatili illo insecto, quod *Bartholinus* (*y*) Pater ex gazâ Catellani exoticâ laudat, ἄϊστον ἡμῖν, præsertim cum amygdalam excedat, quod *Filius* (*z*) refert, qui & idem ad Venerem cornu facere ex *αὐτογράφῳ Authoris historiæ Mexicanæ* è Bibliotheca Escurialii nos condocefacit. Qui verò Scarabæos (*a*) Plinii, Tauros seu pediculos terræ dictos, rettulit *L. Catelanus*, (*b*) lippiit credo, quod expressissimam corniculorum mentionem ibi non viderit. Inter reptilia unicornia *vermiculus* viridis, & croceo variegatus colore, croceo quoq; digitalis longitudinis cornu præditus censendus est, quem observavit *Cardanus*. (*c*) Bucampen *Fabii Columnæ* (*d*) referre nolumus, quum caput non caudam heic memoranda gestare debeant unicornem. Qualia inter isthæc insecta viperæ quoque sunt, quarum Rhinocerotes, *Mameliklas, id est, regias* Ægyptiis dictas, ex *J. Veslingii* relatu & *N. Contareni* iconibus exhibet *Th. Bartholinus*, (*e*) quibus monocerotes, quas Istriæ montosa frequentes alunt, adnumerat. Heic quoq; serpentium historia inserenda foret, sed prolixa nimis est, nec adeò mirabilis, quùm generi isti quædam in capite prominentiæ sanè quàm familiares sint, & diffusè sc... *Albertus M. Conr. Gesnerus*,

(*p*) Cap. 8.
(*q*) l. 1. Hist. Æthiop. Pag 344.
(*r*) l. 1. de Bis. c. 33.
(*s*) Decad. 3 l. 6.
(*t*) c. 7. p. 51.
(*u*) Hierogl.
(*x*) lib. 28. Nat. Hist.
(*y*) c. 1. p. 3.
(*z*) c. 8 p. 54
(*a*) l. 30. c. 5. & 11.
(*b*) c. 1. tr. de Unic.
(*c*) l. 1. V. H.
(*d*) Obs. Aq. & terrestr. cap. 20.
(*e*) c. 9. p. 60.

Aldrovandus, *Agricola* & alii de iis ipsis egisse deprehenduntur. Sed age relinquamus hanc ulvam, hæc vilissimis animalculis habitata loca, & spectatiora adeamus, quin ipsum alterum mundum, sed hoc nostro longè admirabiliorem, *Oceanum* dico, tantarum tamque immanium belluarum hospitem, imò parentem. Sanè sicut ille, non secus atque *Africa*, semper aliquid adportat novi, ita unicornes quoque suppeditat, quos exigente instituti nostri ratione, non possumus non oculo lustrare paulo intentiori. Talem A. C. 1601. ex *India Orientali* reduces secum adduxerunt *Batavi*, tanti æstimatum, ut nisi ingenti pretio redimi non posse putaretur; delineationem eius accuratissimá prodidit accuratissimus *C. Clusius*, (f) quem vide. Talem aliqui *Hippopotamum*, quem alii *Rosmarum* (sed iste longè alius est ab Hippopotamo, Septentrionalibus *Russis*, Juræ & Corelæ incolis *Morss* appellatus teste *M. à Michou ap. Nierenbergium*) (g) alii *Rohari*, alii *Gomarum* in regionibus *Pretejanis* vocitant, nisi sublestæ fidei sit *Alvarez* apud *Aldrovandum*, (h) putarunt; sed integrum sale asservatum A. C. 1603. ex Ægypto *Federicus Zerenghi Narnensis Chirurgus* attulit, famamq; de unico Hippopotami cornu vanam redarguit, de quo *Fabius Columna* (i) prolixè. Nisi forsan amphibium illud intelligant, quod *Garzias ab Orta* (k) inter *Cabo de bona Esperanza*, & *Cabo des Corientes*, & *Thevetus*, (l) atque ex eo *Paræus* (m) in Insulis *Moluccis* Gamfurch dictum reperiri ajunt. Certè quum ad regiones *Pretejanas* degere dicatur, unum idemque animal esse diversis nominibus insignitum, veritati adeò adversum non est præsertim cum Hippopotami extra *ostium Nili Pelusiacum* non crebrò inveniatur, ut *J. J. Breuning à Buchenbach* (n) innuit. Huc quoq; certè quædam Oceani Borealis circa *Islandiam*, *Grœnlandiam*, *Spitzbergam* finitumamq; continentem reperta sub censum unicornium refert optimus ille Theologus Medicusque *Bartholinus Pater*, (o) & ante illum *Olaus Magnus*, (p) *Andreas Marinus*, (q) ac non pauci alii. Verùm paucos abhinc annos magnum illud Septemtrionum lumen *Olaus Wormius*, (r) αὐτοψίᾳ rationumq; momentis validissimis demonstravit cornua illa, quæ antea tantum nó ultima Naturæ spes fuerant, ne cornua quidé esse, sed dentes immanis cuiusdam balenę, quam *Nahrval* Islandi nominitant, figurá quidem rectá, oblongâ, tereti, inferiori

parte

(f) l. 2. Ex. cap. 27.
(g) l. 11. c. 37. p. 257.
(h) l. 1. de Digit. Vivip. c. 12.
(i) l. Obs. aq. & terr. cap. 15.
(k) L. 1. H. Arom. c. 14.
(l) l. 5. Cosmogr. l. 1. c. 5.
(m) lib. 21. cap. 50.
(n) Navig. Orient. l. 3. c. 1. p. 211.
(o) 2 sect. 3
(p) l. 1. c. 14
(q) tract. citat.
(r) Disput. Corall. Anno 1638.

parte crassiores, paulatim in mucronem gracilescentes, levibus canaliculis seu striis, ab infima parte, qua capiti junguntur cavi, longitudine quandoq; septem, quandoq; plurium pedum, pro ratione magnitudinis non admodum ponderosi. Et novit hoc jam antea, ipso laudante *Wormio*, *Gerbardus Mercator*, (*s*) vidit quoque *Bartholinus filius*, (*t*) nec contra adhuc dum mutire quisquam ausus. En verò omnes dentis huius notæ quàm exactè, si colorem exceperis, (qui temporis quidem diuturnitate mutare videtur) quadrent cornibus, quæ Magnatum gazæ tantâ hactenus superbiâ ostentârunt pro vero unicornu ob insignem raritudinem, quâ, antequam *Corteregales*, *Gabottus*, *Verazanus*, *Gomez*, *Davis*, & alii subjecta Ursino polo freta detexère, dens iste non nisi immensis glaciei fluctibus ad littora citeriora devectus, conspicuus erat. Ex dictis notis igitur Balenæ huius dens censendum est quod pretiosissimum totius ferè mundi unicornu hucusq; putatum est, & ostensum in fano *S. Dionysii* propè *Lutetias Parisiorum*, quod *Cardanus*, (*u*) *Bellonius*, (*x*) *Baccius*, (*y*) *Jordanus*, (*z*) *Marinus*, (*a*) *Gölnitzius*, (*b*) *Zeillerus* (*c*) & alii prolixè describunt. Similis generis quod *Goropius Becanus* (*d*) *Antwerpiæ* ex *Islandia* allatum vidit; uti ipse etiam suspicatus est. Eiusdem quoq; commatis illud, de quo *Philippus IV. Hispaniarum Rex Cardinali Francisco Barberino* frustum donavit, idem quod *Trajecti ad Rhenum* in æde Basilica monstratur, ex αὐτοψία judicat *Th. Bartholinus*. (*e*) Quod *Fridericus II. Rex Daniæ Electori Saxoniæ* donavit, item quæ *Venetiis* diebus festis in templo *D. Marci* ostenduntur, ex simili αὐτοψία aquatilium opinatur *Casp. Bartholinus*. (*f*) Quamvis de Venetis adhuc dubitem, qualia sint, licet monocerotis quidem veri non sint. Et huius farinæ pleraq; omnia sunt cornua, quæ quidem tantâ magnitudine famosa asservantur passim. Veriùs unicornis est Rhinoceros, piscis mar rubro non incognitus, quem tributi loco Regi suo pendunt *Abissini*, ut ex *Alvaro Bermudesio* & aliis notat *Samuel Purchasius*; (*g*) Hinc in Oceano Septentrionali inter ingentes glaciei montes fluctuantem reperiit Anno 1576 *Martinus Forbisserus*, cornu duabus ferè ulnis è naso extuberante, pari penè modo formaque cum iis, quæ *Venetiis* ac *D. Dionysii* spectantur, cui araneæ impositæ statim enectæ sunt, cuique inter pretiosissima sua locum dedit *Vindesoræ Rex Angliæ*, quod

(*s*) Island. [illegible]
(*t*) cap. 15. de Unicor.
(*u*) lib. 17. c. 97. Var. R.
(*x*) l. sing. Obs. c. 19.
(*y*) part. 1. cap. ult.
(*z*) cap. 9. Phæn. Pest.
(*a*) l. de Unicorn.
(*b*) Ulyss. Gall.-Belg. pag 199.
(*c*) Itiner. Gall. cap. 1. pag. 195.
(*d*) l. 9. Vect. & Hyper p 1037.
(*e*) cap. 35.
(*f*) Pag 199. cap. 2. sect 3.
(*g*) l. 7. Peregr. Afric. cap. 4.

Ens (*b*) commemorat. Cornu huius ab imperita anicula in littore *Sudovolgio* Anno 1588. inventum exiguoque divenditum pretio, magno postmodum usui fuisse scribit *Robertus Salmonius* (*i*) apud *Aldrovandum*, (*k*) quamvis longe dissideat quod in *terra viridi* habetur, ab iis, quæ mare Rubrum profert, teste *L. de Urreta*. (*l*) Item ille Bos marinus, terrestrem quemvis granditate exæquans, qui circa insulam *Rameam* versari, & è naribus cornu incredibili adversus quælibet toxica vi præditum emittere dicitur *Jacobo Clartierio*. (*n*) Sed revertamur hinc ad τὸν οἶκον αὐτῶν, & quæ propius ad verum nostrum *Unicornu* accedunt, lustrabimus species, ut tandem remotis obstaculis eò expeditius de illo arbitrari queamus. *Oryx* agmen ducat, non aquatilis ille, cuius apud *Strabonem* (*n*) & *Hermolaum Barbarum* (*o*) mentio, sed è genere sylvestrium caprarum, quem unicornem jamdudú noverunt *Aristoteles* (*p*) & *Plinius*; (*q*) E cornibus eius Afros pastorales *phœnices* sibi (sunt instrumenta Musica apud *Polluecem*) (*r*) fabricare tradit *Herodotus* (*s*) è pelle *cetras* (sic pro cituras legendum monet *Pirbaus*) (*t*) Vetus *Juvenalis Scholiastes* (*u*) Quem *Oppianus* (*x*) describit diversus ab hoc est, rhinocerote quippe non multò minor, &, ut ex verbis hariolari licet, bicornis. Quod aliqui, & inter eos *Bellonius* (*y*) pro oryge *Gazellam* exponunt, rectè à *Scaligero* (*z*) *Gesneroq;* (*a*) vapulant, nisi pro *Oppiani* accipias. Omninò enim bicornis est, quod præter *Simeonem Sethi*, quem *Aldrovandus* (*b*) laudat, ὁμοθυμαδὸν omnes sentiunt. Ab Oryge isthoc unicorni descriptum forsan est Unicornu nostrum aliquibus parvæ admodum staturâ, quemadmodum *Physiologus* apud *Cordovam*: (*c*) Monoceros est animal pusillum, hædo simile; item *Antiquior* quidam *Autor Physices Mss. Germanica*, (*d*) quem evolvi, Das Einhorn ist ein klein Thier; & *Ludovicus Paradus Chirurgus Gallus, referente Catellano*, (*e*) vidisse se ajebat Alexandriæ in Ægypto vivum monocerotem ex Æthiopia allatum, qui vertagi magnitudinem non excesserit. Boves quoque unicornes Indiæ Æthiopiæque familiares tradunt *Plinius* (*f*) & *Solinus*. (*g*) *Arabiæ* & *Zeilano* agro *Ludovicus di Barthema*. (*h*) (Tales fuere forsan, quos *Idairb Aga* orator *Solimanni* apud *Maximilianum Imp. Marcus Scherer* ante abjuratam religionem Christianam dictus, Viennæ narravit, vidisse se in Arabia deserta

(*b*) lib. 2. Hist. Ind. Occid. c. 25.
(*i*) de Actu ası sui.
(*l*) l. de tijn. c. c 33. pag. 882.
(*n*) ... Hist. Æthiop. pag. 247.
(*n*) in Nova Franc.
(*r*) ib. 3. Geogr.
(*o*) Castig. in l. ir.
(*q*) 2 Hist. A c. 1. l. 3. part. c. 2.
( ) ib. 11. c. 40. l. 10 c. 73. l. 2. c. 40 l. 8 c 53.
(*r*) 4. c. 19. Onom.
(*s*) ib 4.
(*t*) Thes. Critic.
(*u*) ad Sat. xr.
(*x*) lib. 2. Cynegει
(*y*) l. 2. Obserb. c. 51.
(*z*) Exerc. 250.
(*a*) hist. An.
(*b*) de bisul. c. 19. p. 743.
(*c*) cap. 9. didascal.
(*d*) pag. 67.
(*e*) l. c.
(*f*) 8. c. 21.
(*g*) Polyb. c. 52.
(*h*) Itin. Arab. & Æthiop.

deserta gregatim, ut armenta, obversantes monocerotes, referente *Jordano.*) (f) *Aoniæ Ælianus*; (g) *Hercyniæ* sylvæ *Cæsar*; (h) illos Bisontes esse, quos hodieque in Borussia unicornes reperiri *Stella* notat, ex collatione *Plinii* & *Solini* arbitratur *Th. Bartholinus*, (i) qui & idem cornua boum unicornium eximiâ in Petechiis vi pollere ex *Ardente Etereo* adnotat. Sed & asinum unicornem Solipedem in interiori India inveniri *Aristoteles* (l) & *Plinius* (m) tradunt, & antiquior his multò *Ctesias Cnidius* (n) quoque, & *Ælianus* (o) & *Philes*; (p) imò eum planè *Aristotelis* & *Plinii* monocerotem esse *Scaliger Pater* (q) opinatur in Comment. Aristotelicis, quod excidit forte M. Polyhistori *Reinesio*, (r) qui ejus in illis nihil hodie comparere scribit. Cornu ejus quo in pretio fuerit magnatibus Indis, ex eo liquet, quod pocula ex eo confecta auro interstinxerint, referente *Æliano* (s) & *Philostrato*, (t) quale quoque *Philes* (u) miratur, non quidem *Michaelis Imp. Constantinopolitani*, quod Vir summus *Th. Bartholinus* (w) habet, sed *Indorũ Regis*, quem κατ᾽ ἀντεροφ·ν compellat. Quod *Alvarez Mendoza* Lusitanus à Rege *Narsingæ* acceptum *Cosmo Magno Hetruriæ Duci* donavit, ajente *Baccio*, (x) & familia *Rauorum ab Holtzhausen* in *Hassiâ* thesauri loco possidet, ajente *G. Fabro*, (y) dubito an huc referenda sint: descriptio certe, ut ab istis refertur, parùm quadrare videtur. Cornibus cæteroquin loco poculorum potâsse veteres jam vulgatum, & meminerunt prolixè *Xenophon*, (z) *Athenæus*, (a) *Mercurialis*, (b) *Stuckius* (c) & alii. Equum Indicum unicornem *Ælianus* (d) tradit, & vidêre huic similem in stabulo *Principis* cujusdam *Stiliani* quidem *Leo Allatius*, & *Neapoli Nicolaus Angelus Eusæus*, affirmante *Th. Bartholino.* (e) Et tandem Rhinoceros, unicornis quidem nomine *Agatharchidæ*, (f) *Plinio*, (g) *Dioni Cassejano*, (h) *Tertulliano*, (i) *Angelo Policiano*, (k) *Fr. Fernandez de Cordova* (l) & aliis descriptus, sed non sine grandi errore, quem ex *Pausaniâ*, (m) *Eucherio*, *Pierio*, & Lusitanorum experientiâ *Raderus*, (n) & ... *Anonymus quidam Geographus*, (quem è *Mss. Medicæo* allegat *Th. Bartholinus*) (o) & Jacobus *Bontius* (p) detexerunt.

f) tr. 3. c. 9. p. 592.
g) l. 12. c. 20.
h) l. 6. Bell. Gall.
i) c. 16. p. 109
l) l. 2. H. A. c. 1. de Part. l. 3. c. 2.
m) l. 11. c. 37 & 46.
n) In Indicis.
r) l. 4. Hist. An. c. 52.
p) de propr. anim. p. 58.
q) l. 2 de Hist. an. t. 130. p. 358.
r) l. 2. Var. Lect. c. 2.
s) l. 4. c. 52.
t) l. 3. c. 1 de Vit. Apoll.
u) loc. cit.
ww) c. 18.
x) part. 2. p. 79.
y) in transl. tr. de Unic. Casell. c. 2.
z) l. 7. Cyrop.
a) l. 11. Dipnos.
b) l. 1. de Gymn. c. 11.

c) l. 3. Antiq. Conv. d) l. 3 c. 39. e) c. 19. f) ap. Photium Cod 250. g) lib. 8. c. 20. H N. h) l. 5. i) adv. Hers. Prax. k) c. 56. par r. thes. cr. p. 69. l) cap. 9. didasc. m) in Boet. n) ad Mart. epigr. 21. l. l. 1. o) c. 19. p) ad cap. 4. Garz.

runt. Et hunc sub Unicornu nomine in Regnis Indiæ & Tartariæ plurimis, scilicet *Mien*, *Guzzerat*, *Basma*, *Lambri*, & aliis reperiri ait *M. Paulus*, (q) & apud *Æneam Sylvium (r) Nicolaus à Comitibus Veneti*. Atque huc usque unicornes animalium species ferè omnes levi brachio, ut in isthac quidem præcipitantiâ licuit, attigimus, quumque harum nulla cum descriptione Unicornu, quam inferius dabimus, conveniat, eliquescit exinde peculiarem adhuc restare feram, cui illæ proprietates quùm in SS. Scripturâ, tum profanâ Historiâ ipsi attributæ quadrent. Nam Rhinoceroti quidem indomabilis illa ferocia nullatenus competit, quam Unicorno tribuit *Jobus*, (s) neque illa quoque agilitas & incredibilis alacritas, quam *David*, (t) neque unicum cornu, neque ipsa corporis conformatio, quod ex supra laudatis ὀφθαλμοφανέσι patescit. Propius adhuc accedere posset, & verus quoq; *J. C. Scaligero* (u) monoceros putatur, Equus Indicus, qui ei quod ad corpus ferè congruit; nisi obstaret, quod distinctè de utrisque agat *Ælianus*, & caput cervinum non habeat, quale in Unicornu tamen consentientes ferè Autores requirunt. Quare ipsum jam Monocerotem contemplabimur.

q) l. 1. c. 4. l. 3. c. 18. c. 13. c. 15.
r) part. 2. hist. l. de As. c. 10.
s) c. 39.
t) Psal. 29.
u) l. 1. de Hist. A. c. 130. p. 157.

ΚΕΦΑΛ. Γ.

Unicornu describitur. Ejus feritas & mansuetudo conciliantur. Fortitudo & solitudinis amor. Variæ descriptiones conciliantur. Probatur ulterius ejus existentia. Medalia Ligorii suspecta. Locus generationis Unicornu. De ejus capturâ. Ejus vis Alexipharmaca negatur. Concluditur.

Dari

DAri jam peculiare aliquod animal Unicorne, cæteris ſpeciebus omnibus contradiſtinctum hactenus diduximus, qualenam verò quodve ſit, preſſius nunc & dilucidius deſcribendum. Eſt igitur *unicornu animal quadrupes unico in fronte cornu præditum, indomabile, ferociſſimum, fortisſimum & ſolitarium, magnitudine Equi, capite cervino, corpore equino, caudâ ſuillâ, pedibus caprinis & anteriori parte parum fiſſis, Indiæ Æthiopiæq; teſqua inhabitans.* Indomabile & ferocisſimum ut cicurari non poſſit, aut præſepi alligari, aut ad hominum adhiberi operas, deſcribunt *Jobus, a) Ælianus, b) Plinius, c) Solinus, d)* & ſequioris ævi aliquam multi. Aſt *L. Vartomannus, e)* autor multæ fidei, & quem de Unicornu loqui vera exiſtimat *Scaliger, f)* ferocitatem ejus comitate ſeu manſuetudine condiri ait, ut *Aldrovandus, De Cordovâ, H. Megiſerus* & alii tranſtulerunt. Verùm cum Antiquioribus hoc directè contravenire videatur, conciliationem molitus eſt *Th. Bartholinus, g)* & *deſerto* pro *dicerto* in exemplari *Ethruſco* legendum autumavit, conjecturâ ut felicisſimâ, ita maximè probabili, quò ſic animal ferum & ſolicitudinis amans deſignaretur, ſenſu planisſimo. Quòd ſi tamen aliquis in hoc non acquieſcat, nec, quos *Ludovicus* vidit, primis ſtatim annis cicuratos fuiſſe concedat, dici poſſet transgreſſum Autorem ab Individuis ad ſpeciem, ut omisſis illis nunc de unico ſaltim ſuppoſito, quod ipſa ſpecies ſit, loquatur, & illam indicet manſuetudinem, quam erga aliûs generis beſtias exercet, de quâ εὐέψηρος illi *Ælianus b)* aliqua, & *Philes i)* ait: πρὸς μὲν ἀλλόφυλα θηρείων γένη, ὁ θὴρ προσηνὴς, ὡς ἰδίας ποίμνης σκύλαξ. Unde præbita forſan anſa multis multa confingendi de neſcio quo animalium circa Unicornu comitio, quibus illud infectas veneno aquas ἀλεξικάκῳ ſuo Cornu expiet, cujus αὐτόπτην ſe more ſolito mentitur *Joh. de Heſe, Presbyter Trajectenſis, apud k) Cordovam.* Nam quod ſui generis fœminas acerbo odio proſequatur, & non niſi delenifico Veneris illicio attractum adverſus eas manſuetum ſe gerat, iidem, qui ſupra, *Ælianus* & *Philes*, atque alii teſtantur. Fortisſimum & inexpugnabili armatum robore depingunt *Moyſes, l) Jobus, m) David, n)* & *Ælianus o)* quoque conſentit: ἐστὶ μὲν οὖν,

a) c. 39. v. 12.
b) l. 16. c. 20.
c.) l. 8. c. 21.
d) c. 55.
e) loc. ſæpè cit.
f) l. 2. Com. Ar. hiſt. An. t. 130.
g) c. 28.
b) loc. cit.
i) p. m. 87.
k) c. 9. Didaſc. mult.
l) Num. 23. & 24.
m) Job 39.
n) Pſ. 78.
o) loc. cit.

ὀν, inquit, καὶ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ῥωμαλέον. ἀλκὴ δὲ οἱ τοῦ κέρατος ἄμαχός ἐστι. Solitarium notat *Ælianus*: νομὰς δὲ ἐρήμους ἀσπάζεται καὶ πλανᾶται μόνον. Et hujus simia, ut vocatur, *Philes*: ἀσπάζεται δὲ τοὺς ἀπανθρώπους τόπους. Magnitudine Equi describit *Vartomannus*, & quidem perfecti, *Ælianus*, quibus reliqui suffraganei sunt. Nam quod ex *R. Juda* & ejus filio *R. Jacobi*

p) c. 24. *Bartholinus* p) refert, nolumus heic repetere, ne iniqui in bonam

q) lib. 15. chartam videamur: capite cervino, *Onesicritus* apud *Strabonem*, q)

Geogr. p. *Plinius*, *Solinus*, *Vartomannus*, & *Cardanus*: non leonino, ut *Phi-*

674. *letis* λεόντειον στόμα exponit *Bartholinus*, r) quùm rictum Leoni-

r) c. 24. num verius verterit *Bersmannus*. *Philostorgius Cappadox*, s) & ex

s) Epit. Hist. Exc. Phot. l. 3. p. 11. p 39. eo *Nicephorus Callistus* t) Draconis caput attribuunt ἐκ τοῦ ἐκτυπώματος ἐν Κωνσταντίνου πόλει; sed qualenam illi animans viderint, equidem conjecturare nequeo. *Camelopardalin* dicerem,

t) lib. 9. c. 10. p. 418. Æthiopibus *Nabin*, Arabibus *Zurnapan*, vulgo *Giraffam* adpellatam; at prohibent adhuc, quæ ἐπέχειν suadent Pyrrhoniorum.

u) l. 25. Philol. Reliquo corpore equino, *Plinius*, *Volaterranus*, u) & eruditiores ferè omnes; præter *Philostorgium*, *Nicephorum*, & *Cardanum*, qui cervinum illi corpus adscriptum eunt: Jubâ equi, *Ælianus*, & ea rarâ, *Barthema*, & in alterum saltim latus dependente, *Cardanus*: Mentum barbatum *Philostorgius*, *Nicephorus*, & *Geographus*

w) c. 25. *Medicæus* apud *Bartholinum*. w) Collo non admodum longo, *Vartomannus*, non μακρῷ εἰς ὕψος ἀνατεινομένῳ. quod ex picturâ suâ nobis dedit *Philostorgius*: coxis villosis, gracilibus & macilentis cruribus, *Vartomannus*. Ungulâ pedum caprinâ & anteriori parte parum fissâ, *Barthema*, *Cardanus*, *Albertus* & *Munsterus*: solidâ verò & Elefantum instar digitis indivisis, *Plinius*, *Solinus*, *Ælianus* & *Philes*. non sine ἐναντιοφανείᾳ. quæ ita fortassean conciliari poterit. Ungula unicornu maximam quidem partem solida est, & ratione constructionis caprinæ ungulæ conformis; quum verò anteriori parte (fors non semel) paululum fissa sit, incisæ illæ partes digitis Elefantinis facilè assimilari possunt. Et ita ungula & fissa est, quod ad partem, & solida quod ad partem, nec digitos habet διαρθρώτους seu articulis distinctos, cum incisuræ illæ quidem sub digitorum censum venire non possint. Re-

triores pedes extrorsum villosos, *Vartomannus*, *Cardanus*: πόδας

λέοντος

λευτ⊗ *Philostorgius*: qui si ob villos ita vocat, cæteris non contrarius est. Caudâ apro simili, *Plinius, Solinus, Ælianus*; Cervo simili *Geographus Medicaus*, & *Seb. Ericius in explicatione Numismatis Philippi Junioris* apud *Bartholinum*. x) Cornu unicum mediâ in fronte, illudque nigrum vel subnigrum, aut fuscum, *Ælianus, Plinius, Amatus Lusitanus, Boetius à Boot*, y) *Cardanus* & *Lælius à Fonte*: z) *Solinus* mirifico splendore coruscum facit, quod quia aliis pugnare videtur, *Franzius* a) conciliat, & foris quidem nigrore, intus verò splendore ait esse conspicuum. Insuper versuris seu striis notatum & in mucronem acuminatum, longitudine modò cubitorum duum, *Plinius*, modò trium, *Vartomannus* & *Cardanus*, modò pedum quatuor, *Solinus*: Sic *Philostorgius* quoque κέρας δὲ σκολιὸν αὐτῷ πέφυκεν, ὅπερ φιδόσημα μίζει, ubi *Nicephorus* σκολιὸν *tortuosum* interpretatur, & ita *Philostorgio* cum aliis quoque convenit. Scilicet pro ætatis varietate, ut ex *Vartomanno* videre est. Cornu hoc deciduum esse tradit *Paulus Jovius*, b) & confirmat denuo *Ludovicus de Urreta*, c) ubi in sylvis Goyame circa montes Lunæ reperiri tradit. Vocem *Ælianus* πάντων ἀπηχεστάτην τε καὶ μεγαλοφωνοτάτην vocat, *Plinius* Mugitum gravem, horridum *Solinus*, à quibus cæteri ferè aut vocem aut sensum mutuati sunt. Et huc usque quæ ad unicornu nostri descriptionem facere visa sunt, desumta tàm ab his, qui animalis hoc ex fideli aliorum relatione descripserunt, quales plerique omnes Veteres; quàm ab illis, quibus ipsismet id videre contigit, quales sunt *Vartomannus*, cui *Mecha* duo monstrabantur, cuique optimo Viro secundum *Scaligerum* d) fides adhibenda. Et *Persa* ille, à quo *Leonhardus Rauchwolffius* e) *Medicus Augustanus* celeberrimus audivisse se narrat *in Oriente*: *Sophum Persarum Regem* unicornua aliquot *Samarcandi* alere, quem ideo majoris arbitratur fidei, quod pluria secum ex *Persia* attulerit, de quibus *Theophrastus* scripserat, & curiositatem hinc suam satis probârit. Simili modo *Ludovicus Cadamustius* in navigatione *Petri de Sintra Lusitani* retulit, visos illi monocerotas duos apud De Cordova. *Bernhardus Breitenbach* f) verò, quale animal non procul à monte *Sinai*, & *Ramathpim*, (ubi etiam *Johannes de Hese* unicornu vidisse vult) viderit,

x) c. 23 & 24.

y) l. 2 de lapid. & Gē c. 144.

z) Consult. Med. 224. p. 665.

a) c. 11. Hist anim.

b) l. 18. Histor.

c) l. 1. Hist. Æthiop. p. 247.

d) Exercit. 205.

e) Barth. c. 24.

f) l. c. Barth.

rit, Camelo majus, quod unicornu esse, *itineris ductor Arabs* asseveraverit, explicare ego non possum. Nisi enim ob nimiam velocitatem feræ, quâ oculis sese spectantium derepente eripit, magnitudinem ejus justo majorem crediderit, sub unicornium quidem censum venire nequit, ubi proceritatem equos non multum excedentem requirimus. Sed *Josuam* quoque Unicornu in labaro suo depictum gestasse ex *Rabinis CL. Reinesius & Bartholinus* allegant, & columnas sive statuas ab *Æthiopibus* in honorem monocerotis positas *Geographus Medicæus*, exscribente *Bartholino g)* *testatur*. Οὐκ ἐθεασάμην αὐτὸ, inquit, στήλας δὲ αὐτοῦ χαλκᾶς ἀνατιθεμένας ἐν τῇ αἰθιοπίᾳ ἐν οἴκῳ τετραπύργῳ βασιλικῷ τέσσαρας ἑώρακα. Sane *Æthiopes* columnarum apprimè studiosos fuisse, cùm ex hoc *Geographi* testimonio apparet, tùm ex similibus quoque aliis, & præcipuè duabus illis columnis lapideis, quæ à profugis ex Canaan posteris Enakim in Tingitana positæ, post annos quoque bis mille â re gesta superstites, Phœnicio sermone inscriptionem suam ostentabant, quæ ita Græcè: ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου ΙΗΣΟΥ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ ναυῆ. Ut â *Procopio h*) *Evagrio Scholastico, i*) *Suidâ, k*) *Mornæo, l*) *Nicephoro, m*) *Reinesio, n*) *Seldeno o*) *& aliis* refertur. Quod verò numum ex *Pyrrho Ligorio Ferrariæ Ducis Antiquario* desumtum & unicorni cornu in cantharum inclinantis effigie signatum, spectat, quem *Alexandri M.* esse *Baccius, Catellanus, Camerarius, p*) *Bartholinus* & alii opinantur, facilius adsenserim *Th. Reinesio, q*) qui id sat ingeniosè refellit, & pro NΥΚΑΙΩΝ, ΝΙΚΑΙΕΩΝ legendum censet, in quo ἐμψύφῳ illi *Bartholinus*; ut ita *Medalia* ista vel *Itali* vel *Galli* cujusdam aut ipsius etiam *Scaligeri* fuerit, qui viso integro Unicornu *Nicéa* (quæ civitas *Liguriæ* est ad sinistram *Vari* ripam hodie *Niza* dicta, sed non illa *Bithyniæ*) talem cudi ἐμβλήματος curaverit, nomine Urbis in rei memoriam apposito. Sed quicquid sit, dubitare eapropter de vera feræ nostræ existentia nemo debet, cùm illa & in SS. literis designetur, & unanimi ferè autorum consensu talis describatur. Nam ex levi illa quidem variatione testium veritas nullo modo in dubium vocari debet, cùm illa quidem tanta nulla sit, quæ conciliationem non admittat; quin

g) tract. d. Unicor. c. 24.
h) l. 2. Vand. f. 135. ed. Hæschel.
i) l. 4. c. 18. Hist. Eccl.
k) in Καναάν.
l) de Verit. Rel. chr. c. 26
m) l. 19. c. 12
n) ἱστορούμ. Pun. c. 3.
o) Synt. de Dis Syr. prol. c. 3. p. 18.
p) Symbol. 21 p. 20.
q) l. 1. Var. lect. c. 1.

quin imò firmius exinde veritati fulcimentum accedit, quod certiores opinionis suæ fuisse videntur Autores, qui alioquin mutuò se exscripsisse judicari potuissent. Sed ulterius properandum. Generatur Unicornu nostrum inter *Indiæ Æthiopiaque* tesqua, si *Indiam* quidem paulò latius quàm quæ *Zinzoni* muro coërcetur, accipias, finitimaque *Tartariæ* vastis horribilibusque solitudinibus celebria non excludas. Nam *Æthiopiæ* quidem tesqua *Africæ* plures occupare partes etiam in vulgus notum, & Unicornu in *Goyame & Montibus Lunæ*, quæ hodiè *Zeth & Beth-Zun* appellari ait *Joh. Jac. Breuning* (r) reperiri testatur *Ludovicus de Uretta*, (s) quod rarum tamen ob inaccessibilia rupium illarum præcipitia & tremendi horroris silvas videatur.

Superest ut quomodo capiatur, pauxillis eloquamur: Inventi quippe sunt, qui utut Veteres plerique omnes reclament, tamen per virginem, aut puellum in habitum virginalem indutum, & sua veolentibus perfusum aromatis, id captivum fieri dicant, adeò ut fragrantiâ odoris delinitum, mansuetè virginem aut puellum accedat, inque ex panso eius sinu suaviter obdormiscat, *Isidorus*, (t) *Joh. Zetzes*, (u) *Albertus M.* (x) *Gregorius Papa*, (y) *Natalis Comes* (z) & alii. Sed quum autoritate Veterum destituantur, quicquid etiam de tapetiis & aulæis *Orientalibus* opinetur *L. Casellanus*, (a) meritò *Gesnero* (b) eruditiorum prementes vestigia accedimus, licet interim à multis animalibus multos extremò dilectos fuisse ex *Plinio*, *Æliano*, & aliis nulli negemus. De amore erga fœmellam suam *Philes* (c) ita: πραΰνεται δὲ παρὰ τὴν θῆλυν μόνον, οἷσπερ χαλινοῖς ἐκδαμάζων τὸν τῦφον, ἕως τὸ ῥευστὸν τῆς γονῆς ἀφυβρίσῃ; quæ num istis ad confingendum talia fenestram aperuerint, pro certò affirmare nequimus. Sed num Unicornii cornu peculiarem aliquam vim alexipharmacam præ cæteris obtineat, quærendum, quantum pagellæ permittit angustia. Affirmativam vulgus & vulgum sequuti Medici splendidissimæ gloriæ non pauci tuentur, pro experientissimo habentes & incomparabili remedio, contrà nullius non generis toxica & morbos. Hinc *Agyrtæ & illa circumcellionum turba* nequissima signa quoque quædam commenti sunt, quibus se probet *Unicornu*, solùm ut argento emungant Imperitio-

(r) Navig. l. 2. c. 18. p. 133.
(s) L. 1. hist. Æthiop. pag. 247.
(t) l. 12. c. 2.
(u) Chilid. 5.
(x) lib. 22. H. An.
(y) in c. 39 Job.
(z) l. 4. de Rena.
(a) l. 2. p. 33.
(b) l. 5 p. 785
(c) loc. sæpe citat.

ritiores. Inde sudare præsente veneno & in aquam conjectum ebullire, & innumera talia fermè impossibilia præstare dicitur, impostura multivariâ. Ast qui subtilioris fuère nasi jam dudum subodorati fuère putidum hoc figmentum, & explosum hinc fuit, multis, ac fructu longè majori aut *Cornu Asini Indici*, aut *Rhinocerotis*, aut ipsum etiam *Cervinum* substitutum : Et rectè quidem. Neque enim de viribus hisce vel tantillum Veteres sive *Graci* sive *Latini*, sive *Arabes*, qui tamen *Indicas* & *Æthiopicas* animantes antiquis incognitas agnoverunt, & etiam ex iis medicinas in artem invexerunt plurimas, docuerunt, ait *Th. Reinesius*, (d) cui similia *Baccius*, (e) *Ferdinandius*, (f) *Ant. Ludovicus*, (g) *Mercurialis*, (h) *Paræus*, (i) (& apud eum *Capellanus*, & *L. Duretus*,) *A. Marinus*, (k) *Boëtius de Bood*, (l) *Joh. Crato à Crafthcim*, (m) *Joh. Heurnius*, (n) *Sennertus* (o) & alii ex propria experientia & rationibus non infirmis loquuntur, rationes in ipso forsan conflictu accuratius librabimus; Interim hîc finem imponimus Exercitationi nostræ, quam prolixius, fors & eruditius diducere potuissemus, nisi & temporis & chartæ angustia arctiores nobis limites præscripsisset.

Tu, Lector bone, benè vale, & Cornu nostrum boni consule.

(a) l. 1. V. L. c. 2.
(e) l. c.
(f) cap. 9. Disc. Mult.
(h) l. de Em. & misc.
(i) l. 1. Cons. 94. C. M.
(k) l. 20. c. 21
(l) Ap. Ald.
(m) l. 2. de Lap. & G. c. 244.
(n) l. 4. Ep. pag. 426.
(n) l. 2 Met. pag. 175.
(o) l. 4. c. 8. de cur. pest.



FINIS.

